

Johann Quistorp Caspar Schmidt

## **Disputatio Theologica De Iustitia Fidei**

Rostochii: Kilius, 1646

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057843>**

Druck Freier  Zugang



Verf.: U. Schmidt

J. Auistorp.

R. N. theol. 1646.



DISPUTATIO THEOLOGICA

13

DE

# JUSTITIA FIDEI.

*Quam*

ductu dicti Paulini ad Gal. c. 2. v. 16.

*Divino clementer aspirante Numine*

Consensu amplissimæ Facult. Theol.

Academiæ Rostochiensis

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Reverendi plurimum & excellentissimi*

DN. JOHANNIS QUISTORPII,

SS. Theol. D. & Prof. celeberrimi, fa-

cultatis Theol. SENIORIS gravissimi, Ecclesiæ

Rostochiensis Superintendentis vigilantissimi, Dn.

Præceptoris & promotoris sui jugiter ob-

fervandi,

*publico Eruditorum examini submitte*

CASPARUS *Schmidt*/Tenstadio-Thur.

*In Auditorio Majori,*

ad diem 31<sup>æ</sup> Octobris,

*horis antemeridianis.*

✻(\*\*)✻

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M DC. XLVI.

1646.

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
ROSTOCK  
1770





## Prooemium.

**Q**UUM DEUS ter Opt. Max. iudex sit iustissimus juxta ac severissimus, adeoq; nihil commercij cum injustissimis habeat hominibus, ut potius diem constituerit in quo iudicaturus est Orbem terrarū in iustitia in viro per quem decreverat; nemoq; à lege corā tremendo hoc tribunali comparendi excipiat, & omnes nostræ iustitiæ (ne dicam de injustitiis) sint instar panni menstruatae, indubitatis sacrae scripturae Oraculis luculenter attestantibus: nil æquè necessarium videtur, quam ut discamus, quæ illa sit iustitia quam legi accusanti opponere & per eandem intrepide stare possimus. Quæ doctrina sanè non modo ad Ecclesiam veram spectat, sed & totius Christianismi ἀκρόπολις quædam est in qua prora; puppisq; salutis nostræ vertitur, cum omnia Consolationis argumenta, ex æternæ salutis spe (quæ nisi iustitiæ nitatur fundamento facile corrui) sint depromenda, quare infensissimus generis humani hostis id animadvertens, nullum non movet lapidem, ut articuli hujus ἑρθοδοξίαν corrumpat & dubiam faciat, id quod non tantum diu jam in primævâ tentavit Ecclesiâ, cujus rei testimonium nobis præbet D. Apostolus Paulus, qui cum in Galatiâ feliciter plantasset Ecclesiam, eiq; hanc doctrinam pure & fideliter inculcasset, falsos conqueritur irrepisse fratres, qui ejus doctrinæ sinceritatem, legem & Evangelium commiscentes, depravare allaborarint, quibus, re compertâ, vehementer se opponit, Galatasq; devia ingressos

gressos ad viam rectam revocat, sed & idem hodie per Pontificios, & alios vanitatis suæ ministros efficere conatur. Nos igitur ut horum ἐπεροδοζίαν cognoscamus magis, & identidem in veritate confirmemur, lubet in præsentiarum placidum instituire discursum. Tu ò Christe conatibus nostris clementer fave!

THESIS I.



Argumentum futuri nostri discursus fore diximus de illa re, propter quam, peccator coram iudicio Dei condemnatus, ad æternum supplicium, consequatur remissionem peccatorum, absolvatur à sententiâ condemnationis, & acceptetur ad vitam æternam. Dn. Chemnitus L. C. de justif. p.

m. 245.

2. Ea in re, non humanæ rationis, quæ in spiritualibus cæcâ, nutum, sed Sacræ Scripturæ divinitus inspiratæ sequemur ductû. Præprimis vero prodeant classica illa verba Pauli, quæ per ἄρσιν partim, partim per θεοσιν hanc de justitia Controversiam explicant, scripta ad Galatas Cap. 2. v. 16.

3. Nos naturâ judæi scimus, quod homo non justificetur ex operibus sed per fidem Jesu Christi, & nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus: quia non justificabitur ex operibus legis omnis Caro.

4. Duo potissimum observationem hic merentur, Vocabula sc. & res, neglectâ enim vocis distinctione, disputationes non de reipsâ neq; etiam κατὰ τὸ πρῶτον sed πρὸς τὸ δεύτερον institui docet Phil. 1. Top. c. 18. sect. 2. sunt autem vocabula de quibus maxime litem nobis movent Pontificii, justificare & justitia, reliqua in causarum consideratione attingemus.

5. Verbum τὸ justificare varie accipitur, prout videre est apud Flac. Clav. part. 1. Col. 498. & seqq. præcipuè tamen duobus significat modis, vel judicialiter vel extra judicialiter. D. Brochmand. Syntagm. Theol. de justif.

6. Extrajudicialiter notat (α) justitiam alicujus agnoscere & de prædicare Ps. 81. v. 6. Jac. 2. (β) alijs ad justitiam erudiendo promovere

movere Dan. 12. v. 3. (γ) justitiam sibi arrogare Luc. 16. v. 15. (δ) aliquem traducere & condemnare Matth. 11. 19. (ε) liberare Rom. 6. v. 7.

7. Judicialiter quando accipitur duplicem habet in scriptura locum (1) in foro soli coram hominibus, & significat ordinarium iudicij actum exercere 2. Sam. 15. v. 4. (2) in foro poli coram Deo, & significat hominem peccatorem ad tribunal Dei citatum & ad thronum gratiæ confugientem, justum pronunciare, laudes & præmia quæ justis debentur tribuere, quæ significatio propria est hujus loci Gal. 2. v. 16.

8. Solent hinc sacræ literæ totum hunc justificationis actum proponere sub formâ iudicarij processus, in quo legitimi iudicij requisiti, conspiciuntur omnia, hæc sunt (1) Debitum Matth. 18. v. 24. Peccatum Rom. 3. v. 4. (2.) Reus Rom. 3. Homo peccator Ps. 143. (3) Accusator Rom. 3. Lex. (4) Testis conscientia Rom. 2. (5) Advocatus Christus 1. Joh. 2. v. 1. (6) Iudex processus & tribunal. Matth. 25.

9. Nec obscurè patet forensis hujus vocis significationem h. 1. esse, ex oppositione quando in hebræâ linguâ  $\text{קָרַע וְעָרַב}$  opponunt  $\text{עִשְׂרֵי$  1. Reg. 8. v. 32. & passim alia verba condemnandi, & in græcâ  $\text{καταδικάζειν}$  quod  $\gamma\omicron$ , pro illo hebræo usurpant, opponunt  $\text{καταδικάζειν}$  Luc. 6. 37. quæ verba nullibi pravarum qualitatum infusionem, & ad actiones damnatione dignas excitationem notant.

10. Est & hæc observatio non prætereunda, quibus aliis vocabulis synonymis Paulus ipse verbum iustificare exposuerit ut Rom. 4. v. 3. & 5. per imputare justitiam, fidem imputare ad iustitiam, item per illud Psalt. tegere iniquitates, non imputare peccatum Rom. 4. v. 7. & 8.

11. Quare merito reuicimus  $\text{ακρολογία}$  Pontificiorum, qui mordicus etymo latino inhaerent à iusto & faciendo. Bellarm. lib. 2. de justif. c. 3. nil aliud notare pugnantem quam justitiæ qualitates infundendo iustum facere, & exinde comparant aliis, Calefacere, frigefacere, vivificare &c. quæ  $\text{θετικῶς}$  expulsâ una qualitate aliam inducunt, justificatio enim non est mutatio physica, ideoq; non agnoscit qualitatum mutationem, quâ una excipitur altera expellitur; Nec eadem est ratio justificationis ac sanctificationis, in illa enim homo ut Deo reconciliandus consideratur & in statu iræ, in hac vero ut Deo reconciliatus & in statu gratiæ.

12. Vocis justitiæ itidem variæ sunt acceptiones, præcipuè tamen tripliciter pro ratione triplicis subjecti distinguitur; aut enim tribuitur

Deo, aut Θεω ἀρῶπα, aut homini, Dn. Balduin. Tom. 2. Witteb. Disp. 8 de just. fidei. nos prolixitatem præcaves vocem justitiæ contem-  
plabimur quæ homini attribuitur.

13. Ea; consideranda venit vel sub modo qualitatis & inhærentiæ, quatenus est obedientia legi à nobis præstita, quæ alias operum justitia dici solet, & in homine est subjectivè, usum habens in foro externo coram hominibus. Vel sub modo relationis & imputationis, quo sensu sumitur in hoc nostro præsentis negotio, quom quæritur quænam sit illa res propter quam homo peccator à peccatis absolvatur & præmia quæ justis debentur reportare possit? & hanc dicimus nil aliud esse quam perfectam Christi ad amissim legi præscripto respondentem, quam patri suo nostri loco præstitit, justitiam, gratiosè nobis per fidem imputatam.

14. Hæc pro diversitate causarum diversa sortitur nomina (1) justitia Dei dicitur Rom. 1. v. 17. non quia Deus justus est, sed quia homini ex Deo est, & Deus eâ hominem impium cum justificat induit. August. phil. 3. v. 9. (2) justitia Christi quia is nobis eam acquisivit Rom. 5. v. 2. (3) justitia fidei, quia nostra fit per fidem Rom. 4. v. 6. (4) justitia imputata ratione modi, quia credentibus obedientia Christi, qua justii consti-  
tuuntur, coram Deo imputatur Ps. 32.

15. Perperam igitur faciunt qui vocis hujus significationem h. l. ex Ethnicorum petunt Ethicis, & qui eam sub modo qualitatis & inhærentiæ considerant, & rectitudinem internam, quâ homo recte ordi-  
natur erga Deum & proximum dicunt. Bellarm. de justif. lib. 1. C. 1. ita enim considerata potius est fructus justitiæ quam ipsa justitia, ut Pau-  
lus docet Rom. 6. v. 22. & aliàs nova obedientia dici solet.

16. His prælibatis progressum facimus ad rem ipsam, Causarum vid. considerationè, quarum nec plures nec pauciores esse quam tres, asse-  
rere non dubitamus. Gratiam Dei, meritum Christi, & fidem. quæ ita in-  
vicem sunt Connexæ & Conjunctæ, ut si unam harum sustuleris, ju-  
stitia fidei sequatur nulla, quippe gratia Dei unicè in Christo fundata  
est, & meritum Christi sine fide nil quidquam prodest, & fides sine me-  
rito Christi neq; est, neq; definiri potest Dn. Hunnius Disp. de justif. 37.

17. Has singulas ad trutinam veritatis ponderabimus, quarum pri-  
ma & Principalis est Gratia Dei Rom. 3. v. 24. Gal. 21. Deus enim misero-  
cordiæ suæ qua dives est recordatus, generis humani cum totum a ter-

no exitio videret involvi, neq; ullo modo liberari posse, nisi ipse subveniret miseratus est Eph. 1. v. 5.

18. Gratia autem vocabulum quamvis *πλῆσμον* (cujus varia significata apud Plac. 1. part. Clav. Col. 378. & à Dn. Chemnitio L. C. p. m. 281. utiliter observata, legi possunt) imprimis tamen duobus modis in sacro Codice usurpatum consideratur vel de Deo vel de hominibus.

19. De Deo usurpatum significat (1) *μετωνυμικῶς* donum ex gratiâ datum, ut est generatio, renovatio &c. (2) gratuitum Dei favorem qui respectum habet ad nostram miseriam & afflictionem, hoc in significatione ab apostolo usurpatum affirmamus.

Hinc hæc gratia *εξηγητικῶς* exponitur per gratuitâ Dei clementiam, favorem, amorem, misericordiam, *χρηστότην* & *Φιλανθρωπίαν* Joh. 3 v. 16. Tit. 3. v. 4. Hebr. 4. v. 16. 1. Joh. 1. inter quos præprimis evidens est locus Eph. 2. v. 4. & 7.

20. Ex his licet satis perspicuum sit, per gratiam DEi intelligi gratuitum DEi favorem, majoris tamen evidentia & perspicuitatis causa D. Apostolus voci *χάρις* & addidit particulam adverbialem *δωρεάν* Rom. 3. quâ innuere voluit quod Deus nos sua dignetur gratia licet nullam in nobis inveniat causam gratiæ & favoris, sed potius contrariam, iræ vid. & Condemnationis, significat enim particula illa (cui respondet hebræa *עוֹנֵן*) defectum (α) pretii Gen. 29. v. 15. (β) justæ Causæ in nobis, pl. 69. v. 5. (γ) nostri meriti 1. Sam 19 v. 5. c. 25. v. 31.

21. Frivolè præinde agunt, qui gratiam hanc justificantem interpretantur per dona gratis data, seu habitum infusum, sive is sit charitatis sive alius à charitate distinctus, ut pontificii volunt; illa enim potius sunt effectum, quam causa. & Apostolus hanc gratiam nostris virtutibus operibus & meritis opponit Rom. 11. v. 6 gratia vero habitualiter nobis inhærens illis opponi nequit.

22. Nec est ut Bellarminus hic resistat dicens, favorem Dei satis expressum per particulam *δωρεάν*, ideoq; per gratiam aliud quippiam intelligi, videlicet effectū favoris seu justitiæ nostræ causam formale, item male particulam *per* accommodari Causæ efficienti & tantū applicari posse formali & instrumentali; Nam falsum est satis exprimi per *δωρεάν* favorem Dei, quia constat ex dictis illis falsam duntaxat causam eo verbo  
removes-

removeri, quia jam non est idem remove causam unam & aliam ponere, ideo admodum frequens ut fiat utrumq;. Tum autem appositio aliquid addit luminis & momenti, unde fit, ut etiam cum ex uno intelligi facile possit alterum membrum, tamen utrumq; exprimitur Psal. 100. v. 3. Eph. 2. v. 8. Dan. Panstr. Chamier lib. 21. de justif. c. 2. §. 20. De particula vero per ineptè colligitur, ea siquidem de causarum omni genere usurpatur vid. Philol. sacram D. Glassii.

23. Quicquid etiam somniant Pontificii de preparationibus seu operibus preparatoriis, quibus potestatem ἐπιτηδείωσι & Capacitatem justificationis conferendi tribuunt, quæq; ex liberi arbitrii viribus promanare putant, pariter illa particula gratis eludit, gratia enim non est gratia ullo modo, si non est gratia omni modo ut scitè D. Augustinus dixisse fertur.

24. De partitionibus gratiæ quæ Pontificii ex scholasticis proferunt in operantem & Cooperantem, gratis dantem gratis datam, gratum facientem, ut prolixè eas Bellarm. lib. 1. c. 11. de gratia, recenset, quid sentiamus ad conflictum reservabimus.

25. Proximam ab hac prima justitiæ nostræ causam statuimus meritum Christi, Deus enim qui non modo bonus & misericors sed & justissimus dictorumq; servantissimus, quia offensus erat, peccata sine satisfactione remittere noluit Es. 53 v. 10. imo nec potuit salva sua justitia, quæ ipsi adeo est naturalis, ut si malum non puniret naturam suam negare videretur, & abominatio foret prov. 17. 15, juxta quam pro peccatis pœnam exigit severissimam decretumq; illud Comminatorium in Adamum & Adamigenas constare voluit: *morte morieris* quocunq; die comederis &c. Gen. 2. v. 27.

26. Satisfactio hæc ab Apostolo vocatur ἀπολύτρωσις, quæ vox militarem habet significationem, & proprie nihil aliud significat quam sufficientissimam pretii solutionem, ab alio ad liberationem captivi præstitam, in quâ hæc requisita sunt observanda (1) captivus Adam & ejus posteris 2. Tim. 2. 26 (2) captivum detinens, Deus (cui soli peccavimus Matth. 18. 24. Hebr. 9. 14.) non modo Creditor sed & Dominus & justus judex, qui ut judex pretium exigit, ut Deus misericors filium ex proprio patris thesauro solvere permittit. quâ quidem solutione etsi Deo nihil accedat, quemadmodum Zaleuco Locrensi legistori eum oculum sibi met ex lege positâ ob abulterium filii eripi permisit, non sensit commodi accessum, sed justitiæ, & constantiæ laudem reportavit.

tavit. Dn. Dannhavv. *Χριστιανφ.* sect. 2. art. 1. p. m. 142. (3) Captivita-  
tis vincula & molestiæ, metus mortis, mors ipsa, dicimur enim liberari  
à peccatis Tit. 2. 7. tanquam vinculis 2. Tim. 2, 6. irâ Dei & legis exe-  
cratione Rom. 5. v. 9. Gal. 3. v. 13. 1. Thess. 1. (4) redemptor Christus 1.  
Cor. 1. v. 30. (5) *λύτρον* preciosus Christi sanguis auro & argento eo i-  
pso quo precium est comparatus. 1. Petr. 1. v. 19.

27. Admirandum hinc rationiq; humanæ impervestigabile existit  
justitiæ & misericordiæ temperamentum, quo nihil derogatur Dei mi-  
sericordiæ, quam certo redemptionis pretio determinatam ex S. Scripturâ  
scimus, quando alienam acceptat solutionem, ubi propriam si *κατ'*  
*ἀκερβοδικαιον* nobiscum agere voluisset, efflagitare potuisset, juxta il-  
lud Ezech. 18. v. 20. nec quicquam Dei justitiæ decedit, quam mise-  
ricordiâ temperatam fuisse confitemur, quando veluti creditor soluto  
debito sive id fiat ab ipso debitore sive ab alio ipsius loco exsolvente  
acquiescit Dn. Hunius disp. de justit.

28. Cum autem nulla creatura solvendo esset, siquidem satisfactio  
(ut ex Scoto definit Biel lib. 4. disput. 15. est redditio æquivalentis &  
offensæ æquari debet, quæ in Deum est commissa, adeoq; infinita,  
quantitatem quippe recipiens ab eo in quem committitur) ipse filius  
Dei humanam assumpsit naturam, sese legi subiecit, sponsor noster, medi-  
ator & redemptor factus verè & perfectè justitiæ divinæ nostri vice sa-  
tisfecit Esa. 53. v. præter quam satisfactionem Deus à nobis amplius  
exigit nihil, unde per Christum facta dicitur redemptio.

29. Hoc quidem dum facit utraq; natura suis fungitur partibus  
eisq; distinctis satisq; conspicuis: Humana justitiam legis agendo adim-  
plet & pœnas patiendo luit; divina autem infinitam vim & sufficien-  
tem valorem & salvificam virtutem actionibus passionibusq; impertit;  
quas fides Catholica secundum Sacram Scripturam ad personam, non  
ad alterutram naturam, ut Stanckerus ad humanam, & Osiander ad di-  
vinam tantum refert. Ut enim fidei & rationi dissentaneum est ut di-  
vinitas aliquid patiat Mal. 3. 6. siquidem ea est *ἀπαθής & ἀθάνατος*,  
ut Damasc. lib. 3. c. 4. tradit. ita à Sacra Scriptura alienum si soli hu-  
manitati Christi tribuantur, quippe officio redemptionis & sufficientiæ  
*τῆ λύτρος* pro nobis persoluti adversatur, siquidè natura finita non po-  
test præstare *ἰλασθέν* infinitum Dn. Lobeck. disp. 6. de fine *ἐνοουρ-  
κώσεως*.

30. Hinc Sæpe Sacra scriptura particulas adhibet distinctivas, ut 1. Petr. 4. 1. Christus passus est Carne, sæpe eandem omittit, ut 1. Cor. 2. v. 8. Act. 3. 15. Dominus gloriæ Crucifixus. autor vitæ interfectus. ut illarum omissione doceat, passiones illas ad solam humanitatem non esse referendas, illarum usurpatione vero indicet, eas divinitati non competere & tamen quia una est ὑπόστασις Deitatis & humanitatis, idcirco Deum à passione non excludendum ostendit, ita ut passiones conditione naturæ Carni πρώτως, & per se competant, δευτέρως v. & ἐπιδρωσ Deo approprietur, non naturæ proprietate sed personæ identitate. ideal.

31. Proinde meritum hoc cujus absolutissimam perfectionem unicè dependere à dignitate personæ patientis asserimus, consistit in tota Christi Obedientia activâ se- & passivâ.

32. Activâ, quæ nostri vice quæcumq; lex à nobis exigebat, fecit, & exercuit, perfectam vid. justitiam, quam patri suo nostri loco præstitit secundum præscriptum legis, sub qua eum fuisse factum pronunciat Paulus Gal. 4. v. 4. quæq; & nihil omnino vitii admitti, & nihil virtutis omitti jubet, hacq; opus erat ut aditus ad regnum cælestis nobis pateret.

33. Passivâ quâ immanes pœnas nobis debitas in se derivavit, easq; non suo ( quia peccati profusus ἀγδωσ & proinde pœnæ nulli obnoxius ) sed nostro persolvit nomine Esa. 53. v. Cum tota vitâ tum præcipuè in horrenda cruce propter quam factus dicitur ἡγάρων Gal. 3. & factus peccatum 1. Cor. 5. hac opus erat ut peccata nobis remitterentur, nosq; æternam evaderemus pœnam.

34. Esse autem hanc satisfactionem si ad intentionem Christi respexeris universalem, & sufficientissimam pro omnibus peccatis cum originali tum actualibus ex Esa. 53. v. 6. Hebr. 9. 14. Omnium hominum tam reproborum quam salvandorum (1.) ex particula universali omnes, 2. Cor. 5. v. 14. Hebr. 2. v. 9. (2.) ex signo universaliter Collectivo mundi 2. Cor. 5. v. 19. 1. Joh. 2. 2. Joh. 1. 29. Joh. 3. v. 61 Joh. 4. v. 9. (3.) ex speciali determinatione, quando Christus etiam pro iis satisfecisse & mortuus dicitur qui (α) pereunt (β) in impenitentia decedunt (γ) ab negatione Christi æternum judicium & exitum sibi attrahunt (δ) æternis suppliciis afficiuntur ex 1. Cor. 8. v. 11. Hebr. 6. v. 45, 6. 2. Petr. 2. v. 1, 2, 3. Hebr. 10. v. 10. liquidò Constat.

35. Me.

35. Merito itaq; adversariorum malitiosam [aversamur πανουργίας, qua meritum & satisfactionem Christi (1.) vel metaphoricam cum Photino fingendo, inficiantur, (2.) vel insufficiens esse pro omnibus peccatis expiandis contendendo, enervant. 3. vel non ad omnes homines sed ad certa genera hominum restringendo, augustissimum humanæ redemptionis mysterium corrumpunt.

36. Hanc Christi justitiam (quam simpliciter quidem in se & absolute considerata extra nos adeoq; aliena est) Deum ex meritâ gratiâ imputare nobis per fidem Rom. 3. v. 6. docetur, quum autem verbum id imputare diversimode accipiat ut Flac. 1. part. Clav. Col. 418. observavit, duas præprimis notandum ab Apost. Paulo recenserî species imputationis, quarum una ex debito, altera vero ex gratia fit, illa fundamentum habet in eo cui imputatur, hæc vero in alio; utriusq; meminit Apost. Rom. 4. v. 4. & 5. à nobisq; usurpari in posteriori significato, cujus actus duo complectatur: *σέρισιν & θέσιν.*

37. Sicuti enim conditio corruptionis & impietatis qua peccator post lapsum laborat gemina est, *θετικὴ* quæ injustitiam & delictorum commissorum crimen continet, & *στροφικὴ*, quæ privatione justitiæ qua nos excellere oportebat, constat; ita duplex seu geminum *ἀντιφάρμακον* nobis in Christo est paratum, remissio vid. peccatorum, qua Deus peccata quæ in nobis sunt propter meritum Christi fide apprehensum non imputat, & ita regit ac si nunquam peccassemus Psal. 32. Act. 16, 18. Et imputatio Christi justitiæ, quæ nobis accepta fertur, perinde ac si à nobis ipsis præstita esset, ita ut eâ quasi induti in ipsius judicio justî pronunciemur & reputemur; Illud priori nostræ conditioni medetur, hæc vero posteriori Rom. 3. v. 25. c. 5. 12.

38. Falsò E. Pontificii nos accusant, quasi umbratam & putativam doceamus justitiam, & doctrinam hanc propterea omnibus modis sugillant & ut figmentum proclamant, ut *ἐπεσδοξίαν* suam de inhærente justitiâ felicius astruere possint:

39. Nec est quod ogganniant Deum peccatorem ita justum pronuncians, reputando à judicii sui veritate seu justitiæ regulâ decedere: Nam Dei judicium, quod est ipsa regula justitiæ, & rerum omnium principium, non in nihilo recumbit sed respectum habet obedientiæ à Christo præstitæ, cujus meritum credenti applicet, & ita non sine omni plane justitiâ peccatorem justificet, sed propriâ destitutum, alienâ per fidem indutum justum censet.

40. Applicationis hujus medium seu causam instrumentalem, qua justitia Christi apprehenditur & nostra fit, statuimus esse fidem, juxta verba Pauli: credimus in Christum ut justificentur per fidem &c. hinc & fides ad justitiam imputari dicitur Rom. 4. in hocq; articulo *συνουμνω* sumuntur justitiam Christi imputare Rom. 4. v. 6. & fidem ad justitiam imputare v. 9.

41. Varias itidem significationes & divisiones vox fidei admittit, quibus omnibus recensendis (præsertim quia à Flac. 1. part. Clav. Col. & Dn. Chemnitio p. m. 258. L. C. de justif. fideliter sunt notata ubi prolixè legi possunt) hac vice supersedebimus. Sermo autem h. l. nobis est de fide justificante, quæ certa & indubitata cordis fiducia est, qua homo perterrefactus agnitione peccati & sensu iræ divinæ certo statuit & sibi firmissime persuasum habet, in corde suo, quod Deus ex merâ gratia, non modò aliis, sed & ipsi peccata remittere, justitiam Christi imputare, & ad vitam æternam acceptare velit.

42. Considerari hæc duobus modis potest: Formaliter & materialiter, priori, quatenus justificat & fiducialis meriti Christi apprehensio est, quo respectu partes non agnoscit diversas; posteriori vero, prout in diversas partes in fide justificante occurrentes dispescitur (qua voce tamen in latiori utimur significato, non enim fides totum aliquod vel essentiale vel integrale est, nihil aliud intelligentes diversos fidei actus, quorum tres sunt: Notitia, assensus, fiducia.

43. Prior pars fidei *γνώσις*, sive notitia est, qua scimus quæ de Deo credenda sunt, eaq; vel generalis *θεογνωσία*, vel specialis de præmissio- nibus gratiæ, beneficii Christi, & gratuitâ reconciliatione 2. Petr. 2. v. 21. ignota enim qui posset esse assensus? Cum ideo assentiamur rei, quia eam veram esse judicamus, judicium autem nisi cæcum sit, semper prærequirit notitiam rei judicandæ.

44. Hinc fide dicimus intelligere Hebr. 11. v. & ipse Bellarm. lib. 7. c. 6. de justif. eam per plenissimam scientiam describit, licet postea sequenti capite imprudenter contra scientiam distingui, meliusq; per ignorantiam describi contendat, modo ut fuliginosum Satanæ commentum de fide implicita ad quod homines remittunt astruere possit.

45. Sententiam hanc non parum illustrare videtur natura contrariorum, quorum contraria solent esse attributa, jam vero *ἀμείβια* quæ fidei opponitur per ignorantiam describitur Act. 17. v. 23. quid igitur verat *μίστιν* per intelligentiam describamus. 46. Ak

46. Altera fidei pars est assensus, quo ea vera esse credimus, quæ Deus à Prophetis & Apostolis literarum monumentis consignari curavit, non quidem propter rei & probationum evidentiam, quam vel sensusualis demonstratio vel apertissima ratio, qui intellectus ad assentiendum convincatur; sed propter Dei dicentis autoritatem; infidelis enim est, qui verbo Dei non assenitur, Deumq; mendacem facit. hujus respectu fides dicitur *ἐλέγχος μὴ βλεπιδύων* Hebr. ii v. 1.

47. Objectum hujus partis ut & prioris, notitiæ vid. vel adæquatum vel primarium, illud est *πίστις θεάφη*, hoc vero articuli seu dogmata fidei quæ nihil aliud sunt, quam peculiaris doctrinæ Christianæ capita, quorum cognitio (quæ non nisi ex verbo Dei scripto cum in Veteritum novo Testamento licet non semper *καὶ λέξην, καὶ διανοίαν* tamen, habu-  
rienda) ad salutem est necessaria.

48. Uterq; fidei actus pro subjecto hominis habet intellectum, qui doctrinam fidei cognoscit & intelligit, eamq; pro vera & certa habet. Has duas partes autem nondum plene fidem justificantem constituere vel exinde patet, quod etiam in hypocrytas qui tamen minime à Deo justi pronunciantur, cadunt, licet in die illo panto critio dicturi sint: Domine Domine &c. sed potius hanc audient severissimi judicis sententiam: Abite in gehennam &c. c. 7. c. 25. Matth. 16. 6. ne dicam quod & Diabolis sint Communes, qui tamen nunquam salvabantur, teste D. Jac. 3. v. pluribusq; pereuntibus impiis, qui in Spiritum S. peccant, agnitamq; veritatem contra Conscientiam abijciunt & pertinaciter impugnant, quiq; licet articulos fidei cognoscant, desperant tamen & pereunt.

49. Neesse igitur est alius singularis & specialis accedat actus, filialis vid. & indubitata Cordis fiducia, qua quis fidelis sibi in individuo promissiones gratiæ applicet, & in corde suo firmissime persuasum habeat Deum sibi ex gratia propter Christi meritum fore propitium, quemadmodum enim cibum habere non sufficit, nisi comedas & digeres, ita non satis est nosse DEI promissiones in Christo, easq; veras esse statuere, nisi easdem tibi applices, more Apostoli cujus fides ita circa promissiones DEI versabatur, ut iis sese ingerendo, & sub iis sumendo, sibi applicarentur Gal. 2 v. 10.

50. Hunc fidei actum Confirmat exemplum fidei Abrahæ; siqui-

dem talis & ipsa est fides qualia sunt exempla fidei, nam exempla vera à sua regula quã declarant nunquã discrepant, describitur autem illa per *πληροφειαν*, quod Abrahã nim. crediderit contra spem in spem, nec hæsitaverit diffidentia; quæ verba non assensum duntaxat, sed plenam potius cordis fiduciam. in Dei promissiones firmiter recumbentem innuunt Rom. 4. v. 18. 19. 20.

51. Objectum partis hujus speciale est meritum Christi, quod Paulus commonstrat quando dicit, nos credimus in Christum, ut fide Christi h. e. fide in Christum justificemur &c. quo indicat fidem justificare, dum meritum Christi ad justitiam ab illo acquisitam fiducialiter apprehendit. Subjectum vero statuitur voluntas hominis, quæ obiectum illud sibi applicat aliq; & fovet.

52. Nil quicquam autem moramur Pontificiorum clamores, quando hac ratione fidem nostram in monstrum & Chymeram transmutari clamant, siquidem fieri non possit, ut una numero virtus in duabus animæ potentiis, genere distinctis consistat, Bellarm. lib. 1. c. 6. de justif. Nam de reali discrimine facultatum animæ adhuc sub judice lis pendet, siquidem utraq; tam affirmativa quam negativa suos habet patronos, pro negativã subtilissimè disputat Scaliger Exerc. 307. sect. 15. & ipse Bonaventura lib. 3. sent. fatetur: nullum esse in convenientis unum habitum ponere & in ratione & in voluntate. *Concedimus* interim *tamen* principium illud de virtutibus quæ vocantur simplices, non vero de conjunctis, ut fides est. Disp. de fide. Tom. 3. Witteb.

53. Fides tamen hic nobis consideranda non venit absolute & in se, quatenus virtus quædam & qualitas est, sed relatè quatenus in suum fertur proprium subjectum; usq; adeo enim in homine nihil respicit, ut ne seipsam quidem intueatur, ipsiusvè apprehensio vim aliquam habeat, sed hominem ab omnibus quæ in ipso sunt penitus aversum, in Christum solum *ἰλαστικόν*, & humani generis redemptorem unicum, unice convertat. Phil. 3. 12.

54. Errant vero qui fidem dispositivè & ut opus justificare contendunt, Bellarminus lib. 1. de just. quantum enim ad justitiam facit, non nativã tuã virtute facit, sed ad hunc effectum à principali sua causa, nempe misericordia elevatur, quæ illam imputat pro justitia, h. e. ita ordinavit, ut fides nobis sit quasi perfectè promereretur justitiam, vel ipsa esset justitia, Dn. Calixt. de justif. & fide.

55. Quom

55. Quum igitur nihil in nobis sit, quod ullo modo ad justitiam faciat præter fidem, merito concludimus cum Patribus orthodoxis græcis & latinis, solam esse fidem quæ à Deo data, & ordinata est ut sit medium ad consequendam salutem.

56. Qua quidem particula exclusiva non notari volumus fidem solitariam, sterilem & mortuam, quæ plane nulla gignat bona opera, seu quæ cum peccato mortali stare possit. Dn. Chemn. L. C. de justif. p. m. 308. sed tantum sit nota exclusionis nostrorum meritorum, quæ opera nostra è genere causarum quæ ad justitiam faciunt esse eliminanda docetur, ne se ad sanctissimæ justitiæ divinæ tribunal irrumpant ibidemq; se pro causa propter quam peccator sit in gratiam recipiendus, venditent.

57. Hanc doctrinam ut Apostolus adversus omnes corruptelas & insidias munit, ne quicquam opellarum nostrarum ei quacumq; specie affluatur, variis huic exclusivæ SOLA æquipollentibus uritur, inter quas satis evidens quam h. l. usurpat quum dicit: Scimus quod ex operibus non justificatur homo, nisi per fidem, in qua phrasi particulam *εάν μή* præcedentis membri exclusivam esse liquet ex contextu orationis Paulinæ, non vero in clusivam, (quod volunt Pontificii) ut latinæ linguæ phrasis hanc videtur reddere sententiam: Opera non justificant nisi per fidem, h. e. sensu pontificio, quatenus opera sanguine Christi sunt facta. subijcendum enim fuisset, nos credimus in Christum ut per fidem operibus justificemur, jam v. subijcit, & nos in Christum credimus ut justificemur ex fide, non ex operibus.

58. Non insolens est S. Scripturæ quando propositio aliqua de duabus aut pluribus rebus loquitur, particulam *εάν μή* præcedentia membra plane remove & excludere, ut Joh. 15. v. 4. Sicut palmes non potest fructum facere, *εάν μή* (nisi) manserit in vite ita neq; vos nisi manseritis in me. hic prius membrum omnino excluditur; sensus enim esse nequit: palmes quando in vite manet fructum facit à seipso. Eodem sensu leguntur hæ particule exclusivæ *εάν μή* Joh. 15. v. 4. nemo venit ad me, (proprie sc. rationis viribus) nisi pater eum traxerit, ibi sane sensus non est: homo quando à patre trahitur propriis viribus ad Christum potest venire.

59. Argumentum autem quo fidei hanc justitiam astruit operum vero destruit, desumit partim à suo aliorumq; fidelium exemplo: Nos inquit naturâ judæi h. e. quamvis summa dignitate positi & ex parentibus sanctis nati simus, non ex gentibus, scimus non modo sc. ex concionibus Christi, verum etiam ex lege & prophetis, quod homo non justificatur ex operibus,

ribus, etiam nos credimus in Christum, ut justificemur per fidem Jesu Christi; partim à generali quodam axioma quod ex Psal. 143. v. 2. desumptum repetit: Propterea quod non justificabitur ex operibus omnis caro h. e. (Consentientibus interpretibus) homo, sive is sit Judæus sive gentilis.

60. Commune hinc effugium Pontificii quarunt in distinctione operum renatorum & non renatorum, legis Ceremonialis & moralis, & dicunt legis ceremonialis opera tantum excludi, ut erant sabbatha neomenia, discrimen ciborum, circumcisio, de quibus locutus fuerat Paulus, vel ut maxime etiam Apostolus opera intelligat legis moralis, esse id de operibus quæ sine fide à renatis fiant, non de illis quæ fide in renatis imbuantur, intelligendum, verum utrumq; à mente Apostoli alienissimum esse liquet, quoad primum (α) ex verbis Paulinis absolute positis. est autem Lex moralis primaria species legum à Mose latarum, quamvis verum sit Controversiam fuisse de legibus ceremonia lib. potuit tamen Paulus occasionem sumere latioris disputationis sive majoris usum ceremoniarum coercere ex generali doctrina de operibus legis, maxime cum ceremoniæ obligarint ad observationem legis moralis, unde cap. 5. v. 3. Chamier. Panst. de justif. c. 9. 17. (β) quia hæc lex sententiam maledictoriam habet adjunctam c. 9. 10. quæ in transgressores legis moralis fertur. (γ) quia loquitur de illa lege de qua dictum est, quisquis ea fecerit vivet per ea, illa autem lex est moralis Ezech. 20. 21. Quoad alterum vero quia (1) renatorum opera etiam legis sunt opera (2) quia vis illa justificandi operibus Abraham derogatur, quæ ex fide, (3) quia fides & opera opponuntur, si enim simul consistere potuissent, nunquam Paulus opera fidei opposuisset, omnibus igitur operibus hominum quocumq; colore tingantur justificationem Paulum derogare affirmamus Vide Dn. Quistorp. Præceptoris mei. nunquam non observandi Comment. in Epist. ad Gal. Cap. 2.

**N**on aliter quam qui spumas salis ære ruebant  
Dum tremulâ oceanæ puppe secantur aquæ  
Post tumidi tandem spumantes marmoris iras  
Jam Zephyro, portum, velificante, petunt:  
Sic tibi continuo, SCHMIDII, sudore parata est  
Gloria, quâ virtutibus urit iter.  
Jam capis extremum proclivi numine portum  
Et majora dabit, qui dedit ista DEUS.

Amicissimo Schmidio debiti honoris & cultus causa scer.

C. Thamnitius Thoruniensis.






55. Quia igitur nihil in nobis fit, quod ullo modo præter fidem, merito concludimus cum Patribus orthodoxis, solam esse fidem quæ à Deo data, & ordinata consequendam salutem.

56. Quia quidem particula exclusivæ non notariariam, sterilem & mortuam, quæ plane nulla gignat cum peccato mortali stare possit. Dn. Chemn. L. C. de tantum sit nota exclusionis nostrorum meritum, genere causarum quæ ad justitiam faciunt esse eliminat ad sanctissimæ justitiæ divinæ tribunal irrumpant nisi propter quam peccator sit in gratiam recipiendus, v

57. Hanc doctrinam ut Apostolus adversus orthodoxos insidias munit, ne quicquam operarum nostrarum assuat, variis huic exclusivæ SOLA æquipollentibus titis evidens quam h. l. usurpat quum dicit: Scimus quod justificatur homo, nisi per fidem, in qua phrasi partis dantis membri exclusivam esse liquet ex contextu orationis vero inclusivam, (quod volunt Pontificii) ut latinæ videtur reddere sententiam: Opera non justificant in sensu pontificio, quatenus opera sanguine Christi sunt enim fuisset, nos credimus in Christum ut per fidem mur, jam v subijcit, & nos in Christum credimus ut non ex operibus.

58. Non insolens est Scripturæ quando propositum aut pluribus rebus loquitur, particulam *εάν μὴ* plane remove & excludere, ut Joh. 15. v. 4. Sicut patet factum facere, *εάν μὴ* (nisi) manserit in vite ita neque vime. hic prius membrum omnino excluditur; sensus est: si fructus quando in vite manet fructum facit à seipso. Eodem hæc particula exclusivæ *εάν μὴ* Joh. 15. v. 4. nemo venit ad patrem (sc. rationis viribus) nisi pater eum traxerit, ibi sane sententia quando à patre trahitur propriis viribus ad Christum.

59. Argumentum autem quo fidei hanc justitiam prodestruit, desumit partim à suo aliorumque fidelium quiquit naturam judæi h. e. quamvis summa dignitate positus, factis nati sumus, non ex gentibus, scimus non modo scilicet, verum etiam ex lege & prophetis, quod homo non



facia  
& la  
am ad

foli  
quæ  
8. sed  
stra è  
ne se  
causa

as &  
specie  
as sa  
non  
træce  
non  
hanc  
h. e.  
dum  
fice-  
fide,

abus  
mbra  
t fru  
tis in  
pal-  
untur  
opris  
omo  
n ve-  
os in-  
s fan-  
Chri-  
ope-  
ibus,